

22. Nec aliis Civitatibus. *Sect. 23.* Ostenditur Hobbianam doctrinam de Crimine Læsæ Majestatis Cives ad hujus criminis perpetrationem animare.



PROLEGOMENA.

§. I.

TUâ pariter ac mea interest (Amice Lector) ut paucis præmonearis de scopo ac methodo hujus opusculi. Indè enim statim intelliges quid à me aut præstitum sit, aut saltem allaboratum; cætera autem videbis vel è tui ingenii penû esse supplenda, vel ex aliorum scriptis adjicienda. Totius Moralis & Civilis disciplinæ fundamenta sunt Leges Naturales, uti in sequentibus fusè ostendimus. Illæ autem (ut omnes aliæ conclusiones naturaliter cognoscibiles) duobus modis investigari possunt. Nempe vel è manifestis quibusdam effectis indè prognatis vel è causis è quibus ipsas nascuntur. Nos in posteriore hoc modo illas quærendi operam hanc nostram collocavimus. Ad priorem autem modum comonstrandi illarum existentiam & vires pertinent illa quæ protulerunt Hugo Grotius, ejusque frater in Opere posthumo, Scharrockius nostras, qui illas probant ex approbatis sententiis variorum Auctorum è Gentibus & seculis variis, nec non è consensu in Moribus & Legibus Gentium

tium